luculentia interioris contuitus, ut nil cordis eius se
creta preteriret. Multorum quoque per hunc modum que
stare videbantur ruinam, sed et plurium perversorum
conversione ad Christum immobili veritate prenun
cians, appropinquasse videbatur ad eterne lucis spe
culum contemplandum, cuius fulgore mirabili ab
sencia corporaliter tamquam si essent presencia mentis
eius cernebat obtutus. Quodam namque tempore vicarius
suus tenebat capitulum, ipse vero in cella orans
sequester erat et medius inter fratres et deum. Cum igitur
unus ex ipsis defensionis quodam contectus
pallio non se subderet discipline, videns hoc
vir sanctus in spiritu vocavit quendam de fratribus et
dixit ad eum: Vidi frater dyabolum super illius fratris in o
bediencis dorsum, collum eius tenentem astrictum,
qui tali sessore subactus, obediencie freno spre
to, instinctus eius sequebatur habenas. Et cum ro
garem dominum pro fratre, subito demon confusus abcessit.
Vade igitur et dic fratri, ut obediencie sancte iu
go collum sine mora submittat. Monitus per inter
nuncium frater statimque conversus ad deum, ad pedes
vicarii humiliter se prostravit. Illo quoque